



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Incllyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietary Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput V. Alexand. III. Vniversis a Abbatibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

ff. de minor. l. si adulterium, §. 1. ff. ad leg. Jul. de adul. & in terminis præpösteræ libidinis constitutum fuisse refert Harmenopolus lib. 6. promptuarii, tit. 4. ibi: Præter naturam lascivientes, tam agens, quam patiens gladio plectantur; nisi forte qui passus est, minor erit. Unde rectè pœnitentiæ tempus imponitur, & taxatur in c. 16. juxta ætatem ipsius delinquentis, ut etiam pœnitentiæ levior imponitur, quando peccatum hoc solummodo attentatum, non verò consummatum fuit, ut ex D. Isidoro refert

Carnotensis p. 9. Decreti, c. 94. in hæc verba: Si quis ex juvenibus, vel aliqua suspiciosa persona cum parvulis jocus fuerit, dimurna pœnitentiâ maceretur. Licet enim conatus in aliis delictis opere non consummato non puniatur; tamen in hoc teterrimo crimine propter ejus atrocitatem conatus extra ordinem vindicatur, l. 1. §. final. ff. de extra ordin. crimin. Prosequitur ipsius canonis illustrationem Zerdain ad vers. c. 146. n. 11.

CAPUT V.

Alexand. III. Vni-versis a Abbatibus.

Sanè si Episcopi aliqui ab Abbatibus aliquid præter debitam obedientiam contra libertatem ordinis a prædecessoribus nostris, & a nobis indultam exigunt, liberum sit eisdem Abbatibus Ap. auctoritate denegare quod petitur, ne occasione ista, b ordo iste, qui hæcenus liber extitit, perpetuè servitutis laqueo vinciat.

NOTÆ.

¹ **A** *Abbatibus.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc iii. cap. 1. sed in margine pro *Abbatibus*, legitur *Episcopis*, & quælibet litera retineri potest, cum Alexander III. generaliter, tam cum Abbatibus, quam cum Episcopis loquatur.

² *b Ordo iste.*] Forfan agebat Alexander de ordine Cisterciensi, quem speciali affectu diligebat; unde varia privilegia huic præclaro ordini concessit, ut notavi in cap. cum in ordinem 6 de rescript. cap. nuper, de decimis. Commentarium hujus textus dedi in cap. 1. de supplend. neglig. cap. ne Dei Ecclesia, de simon.

CAPUT VI.

Alexand. III. Nor-vicensi a Episcopo.

Illud etiam de Vicariis, qui b personis c fide, & sacramento obligati sunt, duximus statuendum, quod si fidei, & sacramenti religione contempta d personam sibi falsò affumentes, contra personas se erexerint, & super hoc in jure vel e confessi, vel f convicti fuerint, de cætero in eodem Episcopatu ad officii sui executionem non admittantur.

NOTÆ.

¹ **N** *Orvicensi.*] Ita etiam legitur post Concil. Lateran. p. 38. c. 2. & in secunda collectione, sub tit. de jurejur. cap. 1. ubi additur, pars capitulis Consultit. Sed verius credo, in præfenti referri partem textus in cap. significavit, de offic. deleg. cap. clericos, de offic. Vicarii.

² *b Personis.*] Id est rectoribus proprietariis ipsarum Ecclesiarum, ut probavi in cap. 8. & 12. de rescript.

c Fide & sacramento.] Id est fidelitate juramento promissa, juxta tradita in c. 2. & 3. de jurejur. Unde præfens textus in secunda collectione compilatus fuit sub tit. de jurejur.

d Personatum.] De personatu egi in cap. ad aueres, de rescript.

e Confessi.] Juxta ea, quæ adduxi in c. 2. de confessis.

f Convicti.] Juxta tradita in c. at sclerici, de judiciis. Et de his Vicariis, tam perpetuis, quam temporalibus, egi in tit. de offic. Vicarii.

CAPUT VII.

a Clemens III.

Cum ad quorundam malitiam coercendam in Concilio fuerit b Lateranen. multà deliberatione statutum, ut Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi, Archipresbyteri etiam, & Decani certum evectionis numerum, & personarum in Ecclesiarum visitationibus non excedant; quia sicut audivimus, quidam ex prædictis personis id in Ecclesiis vestris nequaquam observant, super hoc commoditati vestræ duximus salubriter, & attentius providendum: ideoque disc. vestræ præsentium auctoritate concedimus, ut si prænominatæ personæ numerum evectionis, & personarum in Concilio constitutum, cum Ecclesias visitant, excedere fortè præsumperint, & pro illis procuracionem exequerint, liberum sit vobis auctoritate Apostolica denegare; & si propter hoc in Ecclesias vestras, vel clericos vestros aliquam sententiam promulgaverint, ipsam auctoritate Apostolica decernimus non tenere.

D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Q9

NOTÆ.